C

DE TVRCICO FRVMENTO.

CAP. CCCXVIII.

NOMINA.

Turcicũ frumentum cur dictum.

HOC frumentum, ut alia multa, ex eorum eſt genere quæ aliundè ad nos translata ſunt. E Græcia autem & Aſia in Germaniam uenit, unde Turcicum frumentum appellatũ eſt: Aſiam enim uniuerſam hodie immaniſsimus Turca occupat. Germani etiã ad loca unde affertur reſpicientes, Türckiſch korn nominant.

GENERA.

Quatuor huius frumenti reperiuntur genera. Quoddã enim grana rufa, quoddam uerò purpurea, aliquod lutea, aliquod ſubcandida grana profert. Spicarũ ſeu panicularum etiam in iſs eſt diuerſitas: etſi enim omnes muticę ſint, tamen alia candidos, alia luteos, alia purpureos, prout ſcilicet grana colorata erunt, flores obtinet. Aliàs, quod ad formam attinet, in iſs nulla eſt differentia.

FORMA.

Culmum habet craſſum, rotundum, altum longúmue, infima eius parte purpureum, geniculis interſectum: folia oblonga & harundinacea, in ſummitate paniculas, aut ſpicam muticam, & granis uacuam, inſtar Secales florentẽ, nunc luteo, nunc candido, nunc purpureo colore, prout fructus quem profert coloratus eſt. Fructũ uerò & grana triangula, diuerſis iam cõmemoratis coloribus tincta, in foliaceis, rotundis ac craſsis membranis ac uaginis, quæ è lateribus geniculorum ferè ſingulorũ prodeunt, contenta obtinent, coaceruata ac penitiſsimè iuncta, inę octo aut decem uerſus ordine digeſta. E faſtigio uaginarũ capilli tenues, iam candido, iam luteo, nunc purpureo colore maculati dependent, ut pictura ſatis oſtendit, quę
D unica quidẽ tibi omnia genera repræſentabit. Hæc in una uagina quatuor tibi granorum colores monſtrat, cùm tamen quæuis unius duntaxat coloris grana, nempe aut lutea, aut purpurea, aut rufa, aut ſubcandida omnia habeat. Quod nos, ne aliquem pictura deciperet, monendum eſſe duximus.

LOCVS.

E Græcia uel Aſia, ut dictum eſt, primùm ad nos peruenit. Nunc autem paſsim in omnibus hortis prouenit.

TEMPVS.

Seritur menſe Aprili, nec niſi ſub finem Auguſti & initia Septembris ad maturitatem peruenit.

TEMPERAMENTVM.

Dulcedinẽ & lentorem quendam grana guſtu præ ſe ferunt, ut hauddubiè idem cum Tritico habeat temperamentum.

VIRES.

Cum idem cum Tritico habere uideatur temperamentũ, eaſdem etiam obtineat facultates neceſſe eſt. Grana itaque teruntur in candidiſsimam farinam, quæ in panificia ſubinde cogitur. Panis tamen ille lentoris quiddam & obſtruentis naturę habet. Hinc eſt quod in Aſia & Turcia illius nullum in cibo uſum eſſe, niſi cum annonæ premit inopia, dicunt. Cæterum foliorum ſuccum refrigerandi facultatem obtinere tradunt, hinc ad eryſipelata utilem admodum eſſe conijciunt.

DE THYMO.